

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Decimus Octavus De Cruce.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

ARTICVLVS DECIMVS OCTAVVS

DE

C R V C E.

§. I.

Quenam
inter
hunc et
præce-
dentem
articu-
lum con-
nexio?

Experimentum fidei et bonorum ope-
rum est *crux*, vipote quæ cum fidei
et bonorum operum exercitio ineuita-
biliter coniuncta et sociata est, Ies. LIX, 15.
Sir. II, 1. Rom. VIII, 17. 2 Tim. III, 12. Act.
XIV, 22. Vnde etiam tamquam pars ordi-
nis, in quo Deus nos communionem sui dignari
vult, spectanda et in hoc articulo consi-
deranda est. *LV THERVS* Conc. in Matth. V.
Tom. VII. Witteb. fol. 15. a. (Tom. V. Alt.
fol. 826. a.) „Quocirca, quod animo tuo libi-
tum fuerit, potes eligere. Duas vias tibi pro-
positas cernis, alteram ad cælum et vitæ im-
mortalitatem, alteram ad inferos tendentem,
et aut cum Christo beatus, aut cum mundo
damnatus omne æuum exigas. Illud tamen
scias oportet, si ita vitam tuam institueris, ut
hic delicatam vitam transigas, nec ullam per-
secutionem patiaris, futurum est, te cum Chri-
sto calos non conscensurum, et contra. Et bre-
uiter, aut Christus una cum regno cælesti tibi
deferendus est, aut committendum, ut omnia
persecutionum et afflictionum genera in
mundo sustineas. Atque ut in summa dicam,
hunc Christum habere volenti corpus, vita,
opes, dignitates, mundi fauor et gratia in
du-

„dubium ponenda sunt, neque ille contemtu,
 „aut ingratitude, aut persecutionibus ullis
 „mouendus et conterendus est.“

§. II.

Is, a quo, tamquam *suprema causa*, crux A quo-
 omnis proficiscitur, ipse Deus est, 1 Sam. II, nam crux
 6. utpote cuius sine voluntate et providentia omnis
 nec grati nec aduersi quidquam mortalibus proficisci-
 potest accidere, Matth. X, 29. 30. Ies. XLV,
 7. Thren. III, 37. 38. Vnde speciatim filio-
 rum suorum cuiuslibet crucem, quam eis pro
 sapientia sua salutarem esse intelligit, desti-
 nat et immittit, Io. XVIII, 11. et quidem ex
 amore paterno, Hebr. XII, 6. et ad *utilitatem*,
 com. 10. Qua in re Deus certas *causas mini-*
steriales adhibere solet, a quibus (quamquam,
 ut diximus, ad utilitatem,) adfligantur et
 vexentur, Mich. V, 2. Ita ipsi *satanae*, omni-
 bus ipsius filiis inimico atque infenso, Gen.
 III, 15. Eph. VI, 12. 1 Petr. V, 8. Apoc. XII,
 4. permittit, ut eos vel externis et corpora-
 libus cruciatibus adficiat, vel internis pravis
 et execrabilibus cogitationibus, tamquam
 venenatis malitiæ telis, angat, Iob. I. II. 2 Cor.
 XII, 7. Eph. VI, 16. *Mundo* etiam, tamquam
 instrumento, Deus vitur, per quod suos
 dignatur cruce, licet malitiam eius, qua pios,
 qui non sunt de mundo, et quorum vita est
 ei dissimilis et dispar institutum, diuexat,
 nec efficiat, nec comprobet, Gen. III, 15. Sap.
 II, 12. 20. Io., X 18. 19. XVI, 33. XVII,

14. 1 Io. III, 13. Gal. IV, 29. *Caro vitiosa*, in regenitis residua, et contra spiritum concupiscens, Gal. V, 17. magnum etiam illis animi cruciatum et afflictionem parit, quippe qui Deo sine ullo peccato servire cupiunt. Mortificatio eius proprie est quotidiana crux, quam tollere Christus omnes discipulos suos iubet, Luc. IX, 23. Manifestum igitur est, veros Christianos cruce et afflictione immunes esse non posse, Io. XVI, 33. Act. XIV, 22. 2 Tim. III, 12. *LVTHERVVS* Postill. Eccles. in epist. Dom. IV. post Trinit. Tom. XIV. Lipf. fol. 95. a. „*Si Iesu Christi, Domini nostri, coheres esse cupis, neque vero simul pati; si ipse frater esse vis, nec ei fieri consimilis: certe in nouissimo die te non agnoscet fratrem, et coheredem suum, sed ex te quæret, ubi habeas coronam tuam spineam, crucem, clavos et scuticam, an toti mundo detestationi fueris, uti ipse et omnia ipsius membra inde ab orbe condito? Quæ omnia si tu ostendere non poteris, nec ille te pro fratre suo habere poterit. Ad summam, nos omnes simul pati, et omnes imaginis Filii Dei consimiles fieri oportet (uti postea com. 18. habet) aut cum eo non siemus gloriosi.*”

§. III.

Quinam illi, quos cruce dignatur Deus, omnes ipsius filii sunt, Ps. LXXXIII, 15. Hebr. V, 8. XII, 6. 7. quos amat, Tob. XII, 13. qui non sunt de mundo, Io. XV, 19. qui ipsi seruiunt, Sir. II,

1. et volunt in Christo pie viuere, 2 Tim. III, 12.
 LVTHERVVS Serm. I. de cruce, Tom. V. Alt.
 fol. 570. a. „Age nunc, si Christianus esse cupis,
 „veste indutum te esse oportet, quæ colorem auli-
 „cum habeat. Non alium pannum ex aula sua dat
 „Christus. Ferendæ sunt afflictiones. „ Contra
 ea homines huius sæculi, dum plerumque
 temporaria felicitate, vipote in qua mens
 eorum defixa est, florent, bonis suis in vita
 sua defunguntur, Iob. XXI, 7-15. Ps. XVII,
 14. XXXVII, 20. 35. XLIX, 12. 17. 19.
 LXXIII, 3. sq. Ier. XII, 1. Mal. III, 15. Luc.
 XVI, 25. Calamitates vero, si quibus heic
 premantur impii, semper sunt iustæ pœnæ
 peccatorum, vbi suis digna factis accipiunt,
 Luc. XXIII, 41. et plerumque ita comparatæ
 sunt, vt eas sibi ipsi attrahant; sicut vitium
 quodque pœnam habet comitem, Ps. XXXII,
 10. 1 Tim. VI, 10. 2 Cor. VII, 10. 1 Reg.
 XXI, 4. Sir. XX, 22. seqq. tamen negari haud
 potest, Deum, dum malos vexari finit, pro
 vniuersali suo in genus humanum amorem
 id agere, vt ad frugem eos reuocet, Leuit.
 XXVI, 39. 40. Deut. XXX, 1. Ies. LVII, 17.
 Luc. XV, 15-17. Iob. XXXIII, 19. sqq. Apoc.
 XI, 13. XVI, 9. quo externa etiam et corpo-
 poralia beneficia, quibus fruuntur, spectant,
 Rom. II, 4. Neque tamen Deus suos eadem
 cruce, eadem crucis mensura, adficit, sed vni-
 cuique tantum immitit, quantum vult, vt-
 pote qui pro sua fideitate non permittit
 quem.

quempiam tentari supra quam possit ferre,
1 Cor. X, 13. Apoc. II, 24. Io. XXI, 18. 21.
Exod. XIII, 17. 18.

§. IV.

Natura et
indoles
crucis in
quonam
consistit?

Natura et indoles crucis in eo consistit, quod afflictio est, quæ in se spectata non potest non dolores adferre, tamen Deus filiis illos suis lenire, 2 Cor. I, 3. 5. immo sensum eorum, plenissimam suam consolationem subministrando, impedire solet, quemadmodum ex historiis martyrum constat. Omnes autem perpeffiones, quæ fidelibus accidunt, vel eiusmodi sunt, ut eas cum ceteris mortalibus habeant communes: quo omnes vitæ humanæ casus, e. g. næui in corpore, morbi, paupertas, obitus propinquorum, ceteri, spectant, qui his pœna, illis autem salutaris afflictio sunt; vel tales, ut veris Christianis propriæ sint et peculiæ. Quo loco tam externe afflictiones, quando videlicet propter pietatis studium a mundo contemni, odio et ludibrio habentur, vexantur, eiiciuntur aut occiduntur, Matth. V, 10-12. X, 17. 18. 1 Cor. IV, 9. sqq. 2 Cor. IV, 8. quam omnes interne passiones, e. g. molestia luctæ carnis et spiritus, omnesque spirituales tentationes habendæ sunt, Ps. XXII, 2. LXXVII, 8-10. LXXXVIII. tot. Iob. VI, 4. 2 Cor. XII, 7.

§. V.

Fructus
et utilitas

Præcipuus fructus et utilitas crucis, recte qui-

quidem adhibitæ, est (1) debilitatio veteris crucis
 Adami in nobis, 1 Petr. IV, 1. 2. 2 Cor. IV, ^{quamam?}
 16. XII, 7. *LV THERVS* in Psalm. III. Tom.
 V. Alt. fol. 346. b. „Deus nos exasciat, fabri-
 „catur, dolat et sculpit, vt veterem hominem
 „vna cum sapientia, prudentia et sanctitate
 „sua, immo cum omnibus vitiis suis enecet,
 „atque ita perfecte nos præparet, vt noua
 „ipsum creatura simus. Ad hoc magnas ascias,
 „secures, ferras, cuneos, (callidus enim et ver-
 „sus veterator est vetus ille Adamus,) hoc est,
 „tetros tyrannos, demones, spiritus sectarios,
 „falsos fratres, famem, morbum, carcerem,
 „laqueum, gladium, et alios id genus crucia-
 „tus innumeros adhibere necesse habet.” (2) Re-
 nouatio et corroboratio interioris hominis,
 secundum omnes spirituales vires ex euan-
 gelio, quod vim et virtutem suam in men-
 tibus, sub cruce humiliatis, omnium illu-
 strissime demonstrat, 2 Cor. IV, 16. (3) Ade-
 ptio variæ spiritualis experientiæ, Rom. V, 4.
 (4) Probatio et exploratio fidei, 1 Petr. I, 7.
 IV, 12. Iac. I, 12. *LV THERVS* in 1 Petr. I, 1.
 Tom. V. Witteb. fol. 444. a. (Tom. II. Alt.
 fol. 411. a.) „Ad hoc crux et varia illæ ad-
 „spectiones faciunt, vt sincera a fucata fide di-
 „gnoscat. Et hac causa sic nos Deus tentat,
 „quo nostra fides probetur, et fiat manifesta
 „mundo, vt deinde et alii ad fidem nostro ex-
 „emplo inuitentur, et nos laudem et gloriam
 „consequamur. Vt enim nos Deum prædicamus;

S

„ita

„ita vicissim et ipse nos laudabit, glorificabit et
 „honorabit, quum mendaces illi hypocritæ, qui
 „rectam viam contemserunt, confusio-
 „bunt., (5) Tranquillitas et pax animæ,
 Matth. XI, 29. Hebr. XII, 11. (6) Viuida di-
 vini solatii perceptio per gloriosum diuinum-
 que Spiritum, 2 Cor. I, 3-5. 1 Petr. IV, 14.
 (7) Exsuscitatio precum, 2 Cor. XII, 8. et (8)
 maioris cupiditatis æternæ vitæ, Rom. VIII,
 22. 23. 2 Cor. V, 2. 4. (9) Conformitas cum
 Christo crucifixo, Rom. VIII, 29. 2 Cor. IV,
 10. (10) Gloria Dei ex fortitudine, in filio-
 rum suorum imbecillitate ostensa, Io. II, 11.
 XI, 4. 2 Cor. XII, 9. 10. Denique (11) sem-
 piterna et longe excellentissima ac grauissi-
 ma gloria, 2 Cor. IV, 17. siue corona
 vitæ, Iac. I, 12. lætitia et exultatio, quum
 reuelabitur Christi gloria, 1 Petr. IV, 13.

§. VI.

Quod-
 nam offi-
 cium no-
 strum se-
 cundum
 hanc do-
 ctrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctri-
 nam est, (1) in vera pœnitentia et fide vitam
 agere, vt afflictiones, quæ nobis vsu veni-
 unt, non sint pœna per iram Dei, sed casti-
 gatio ex paterno ipsius in nos amore im-
 missa; vid. supra §. III. (2) cauere, ne pro
 arbitratu nostro ipsi nobis afflictiones con-
 trahamus, sed eas patienti et tranquillo ani-
 mo ferre, quæ nobis Christum imitantibus
 diuinitus infliguntur; Col. II, 23. 1 Reg.
 XVIII, 28. 1 Tim. VI, 10. Sir. XXX, 22. (3)
 non in causis ministerialibus, quas Deus in
 im-

immittenda cruce adhibet, subsistere, sed omnes afflictiones tamquam ab ipso Deo Deique ex manu accipere; Ps. CXVI, 13. Io. XIX, 11. 2 Sam. XVI, 10. 11. Iob. I, 21. (4) non contemnere Domini castigationem, Hebr. XII, 5. sed decori et gloriæ nobis ducere, eamque adeo omni hominum munda- norum felicitati longe anteponere, Eph. III, 13. Gal. VI, 14. 2 Cor. XII, 9. Hebr. XI, 24-26. et pro aduersis Deo non minus, quam pro reliquis beneficiis gratias agere in iisque gaudere, Rom. XII, 12. Iac. I, 2. 1 Petr. IV, 12. 13. (5) in acerbitatibus crucis patientes nos præbere, et placidæ cælestis Patris voluntati sedato animo nos submit- tere ac consecrare, Thren. III, 26-30. Luc. XXI, 19. Rom. XII, 12. Hebr. X, 36. XII, 1. sq. Matth. XXVI, 39. 42. ab eoque omne auxilium petere atque expectare; Ps. L, 15. Sir. LI, 10. 11. (6) in omnibus afflictionibus in exemplum eorum, qui ante nos res ad- uersas sustinuerunt, aut adhuc nobiscum su- stinent, in primis vero in perpeffiones Chri- sti earumque gloriosum ac beatum exitum fidei oculos coniungere, nosque hac ratione confirmare, ne defatigati animos despondeamus, Hebr. XII, 1. sqq. 1 Petr. V, 9. Iac. V, 10. 11. Sir. II, 11. 12. (7) omnes etiam ad- afflictiones ad emendationem nostri, seu ad participandam maiorem sanctitatem conuer- tere, Hebr. XII, 10. coll. Ies. I, 5. (8) non bre-

breuem leuēque calamitatem, sed magnam gloriam in eis, qui heic cum Christo passi sunt et sustinuerunt, aliquando patefaciendam spectare, Rom. VIII, 18. 2 Cor. IV, 17. 18. 2 Tim. II, 11. 12. (9) aliorum etiam, maxime verorum Christi membrorum, in afflictionibus commiserescere, eisque supplicatione, consilio, consolatione, quantum possumus, succurrere, Hebr. X, 33. XIII, 3. Rom. XII, 13. 1 Cor. XII, 26. 2 Cor. I, 10. 11. 1 Theff. V, 14.

§. VII.

Quodnam solatium fide-
lium in
cruce?

Solatium, quod dilecti Dei filii in afflictionibus habent, *generatim* situm est in plena fidei cognitione insignis vtilitatis crucis, de qua §. V. diximus. *Speciatim* solatio eis esse potest, (1) quod omnes afflictiones a Patri cælesti, et quidem ex amore paterno et ad emendationem, ipsis immittantur, vid. §. II. (2) quod ille ipsis numquam grauius onus imponat, quam cui eos esse scit ferundo, vnde in grauioribus perpeffionibus gratiam suam, virtutem ac consolationem in illis auget, vid. §. II. (3) quod omnibus calamitatibus certum terminum constituerit, ex illisque ipsos tempestiue eripere et possit et velit, Ps. LXXVII. XCI. (4) quod ex cruce et afflictionibus, maxime ex odio mundi, certo possint colligere, se non de mundo esse, sed a Christo ex mundo electos, Io. XV, 19. XVII, 14. (5) quod per crucem in arctio-
rem